



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Tit. XIX. De Divortis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

In Cap. ultimum.

SUMMARI.

1. Denuntiatio publicā factā an quis admitti possit ad accusandum matrimonium.
2. Diversitas inter accusatorem & testem.

Rejicitur hoc Cap. & is accusator, qui post præfixum tempus denuntiationi (quæ solet in Ecclesia proponi ad objiciendum impedimentum canonicum, si forte aliquod subit inter contrahentes) impedire vult matrimonium postea contractum; eod quod suspectus habeatur, rem in tempus contracti matrimonii sponte & malitiose differendo. Unde is, qui ignoravit publicam denuntiationem factam esse, putā quia fuit extra diocesim, vel infirmitate correptus, ita ut exilium mentis pateretur; vel in puerili ætate constitutus, ita quod iudicio caruerit, aut aliā legitima causa præditus fuerit tempore denuntiationis, terminus denuntiationi præstiturus nihil nocet, cum adhuc impedimentum possit objicere. Idem est in eo, qui etsi in diocesi fuerit, tamen denuntiationis tempore impedimentum ignora-

vit, sed postea prius didicit: nam & hic admittitur ad accusandum siue denuntiandum impedimentum, dummodo juramento suo ignorantiam suam confirmare possit. Usque ad eod, licet didicerit impedimentum ab iis, qui tempore denuntiationis tacuerunt; cum huic nulla culpa imputari possit, quod tamdiu tacuerit, *per hunc text in fine.*

Ubi notanda est differentia accusatoris & testis, quod scilicet accusator admittitur ad accusandum matrimonium, etiam si ejus auctor, a quo habet, admitti non possit. Secus in teste; hic enim repellitur à testimonio, sicut ejus auctor, *c. Licet 47. sup. De testibus.* Diversitatis ratio hæc est, quod accusator intentionem suam fundit non in nuda accusatione, sed in testibus siue aliis probationibus, ac proinde culpa auctoris sui sibi nocere non debet, qui culpa vacat. Testis verò fidem testimonii sui totam collocat & petit ex persona auctoris sui. Quare si hic repellitur, similiter & ille. *Ita Panorm. num. 10.* Observa hoc Cap. banonorum appellatione venire denuntiationes, quæ in templo fieri solent, ut jam dixi.

IN TIT. XIX. DE DIVORTIIS.

SUMMARI.

1. Divortium unde dictum.
2. Divortia qualiter olim fierent.
3. Hodie divortium admittitur tantum in duobus casibus.
4. Ex causa adulterii vel sevitia fit tantum separatio quoad torum.
5. Divortium in quo differat à repudio.
6. Divortii cognitio ad quem spectet.

CAjus Jurisconf. divortium vel à diversitate mentium dictum putat, vel quia in diversas partes eunt, qui distrahunt matrimonium, *l. 2. D. De divort.* † Et enim olim apud Ethnicos solo utriusque consensu vel etiam alterius tantum voluntate, civibus tamen Romanis seiprem adhibitis, divortium celebrabatur, hac verborum formula adhibita: *Tuas res tibi habeto, vel, Tuas res tibi agito.* Idque fiebat vel inter præcates,

vel absentes, videlicet per libellum repudii, *l. 2. l. Nullum 9. & passim D. h. 2.* donec Theodosius & Valentinianus Imp. Christiani ad certas causas divortium constrinxerunt, quæ recensentur in *l. Consensu 8. C. De repud.* quarum tamen pleraq; Justinianus sustulit, ut videre est in *Nov. 117. ut liceat matri & avia, &c. §. quia verò plurimas.* Quas non attingit hic adferre; † cum in causis divortii sequamur hodie jus Canonicum, quo nullum divortium admittitur, *c. 1. c. Ex parte 9. sup. De sponsal.* nisi duobus casibus: uno, propter ingressum Religionis, quod etiam fit altero conjugum invito, *c. 2. & c. Ex publico 7. sup. De convers. conjug.* Altero per conversionem alterius conjugum ad Christianam fidem, *can. Si infidelis cum can. seq. xxviii. quæst. 1. can. 2. ead. quæst. 2. c. Quanto & c. Gaudemus h. tit. sicut latius ibidem dicitur.*

Loquitur verò de divortio quoad ipsum vinculum conjugale, quando illud placet inter conjuges viventes dissolvitur: quod non fit, nisi in

4 prædictis duobus casibus. * Cæterum ubi ob causam adulterii, vel ob sævitiam alterius conjugum, vel propter aliam causam à sacris Canonibus probatam matrimonium separaretur, licet divortium quoque dicatur, non tamen vinculum matrimonii dissolvitur, sed tantummodò inducitur tori vel cohabitationis separatio, *cap. xxxii qu. 7.* sicut & in progressu latius à nobis explicabitur. Item ut excludamus à divortio, de quo hic agitur, separationem illam viri & mulieris, inter quos confare non potest matrimonium, veluti inter consanguineos, affines, usque ad quartum gradum inclusivè, & inter frigidos & maleficios, aliosque, quibus interdictum est à jure matrimonium. Nam tamen si etiam hic dicatur separari per sententiam divortii, *c. 1. sup. De consang. & affin. c. pen. sup. De cognat. spirit. & c. pen. sup. De frigid. & malef.* non tamen propriè divortium est, cum inter eos nullum contractum fuerit matrimonii vinculum: sed prout inter eos matrimonium de facto contractum est, ita similiter divortium inter eos de facto celebratur.

5 Dissert autem divortium à repudio, quòd divortium fiat respectu matrimonii; repudium respectu matrimonii & spòsalium. Repudiari enim uxor vel sponsa rectè dicuntur: non autem sponsa divertere, *l. Inter divortium 191. & l. Inter stuprum 109. §. 1. D. De V. S.* Ex quibus observandum est, jure Canonico latius patere nomen divortii, quàm de jure Civili, quo tantummodò capitur pro dissolutione matrimonii. Sed tamen si per mortem dirimatur quoque matrimonii vinculum, non tamen ob id divortium dici potest, quia non nisi inter viventes conjuges divortium constituitur.

6 Illud hic adjicere placet, quòd causa qualif-

cumque divortii non coram Judice sæculari, sed Ecclesiastico tractari & cognosci debeat, etiam si ageretur quoad separationem propter adulterium, sicut ex communi sententia tradit Covarr. in *IV. Decretal. p. 2. c. 7. §. 6. num. 14.* Cum enim hæc res ad matrimonium pertineat, de ea alius cognoscere non potest, quàm Judex Ecclesiasticus, *c. 2. sup. De judic.* ubi interdicitur laico tractare causas Ecclesiasticas, quæ vel ipsum matrimonii vinculum vel cohabitationem matrimonialem respiciunt. Et Concilium Tridentinum *Sess. 24. can. ult. de Sacram. matrim.* anathema dicit iis, qui assentiant causas matrimoniales non spectare ad Judices Ecclesiasticos. De adulterio quidem cognoscit Judex sæcularis, quatenus agitur ad pœnam publicè infligendam, videlicet gladii, ex Constantini constitutione, in *l. Quamvis 30. C. Ad L. Jul. De adult. si vir adulter sit; si uxor, ut ea in Monasterium detrudatur, Auth. Sed hodie C. eod.* Sed quoad divortium propter adulterium aut aliam ob causam agitur tantum coram Judice Ecclesiastico: cum hac specie agatur de jure ipsius matrimonii inter maritum & uxorem, quòd magis privati judicii est, & publicam vindictam non respicit, *c. Tua §. sup. De procurat.* Nam & exemplo Christi docemur, qui causam divortii sive repudii non remisit ad Judicem sæcularem, sed ipse judicavit, *Matth. 5. & 19.* Præterea D. Paulus *1. Cor. 7.* causam conjugii inter fidelem & infidelem similiter ipse decidit, neque ad sæcularem Judicem eam rejecit. Ita quòd improbetur meritò eorum sententia, qui autumant causam divortii, saltè quoad separationem matrimonii, propter adulterium vel fornicationem, pertinere etiam ad sæcularem Judicem.

In Cap. primum.

SUMMARI A.

1. Maritus ob insidias vitæ suæ intentas dimittere uxorem potest, & è diverso.
2. Qui si uxorem occiderit, an aliam ducere possit: & quid si tantum conspiraverint in mortem?
3. Impedimentsa matrimonii duplicia.

1 **H**oc Cap. huc translata est ex Concilio Vermecciano (al Vuormaciano) tempore Pipini Regis Francorum celebrato: cujus hæc sententia est, Si uxor cum aliis conspiraverit

in mortem mariti sui, & hic maritus defendendo se ex iis quempiam occiderit, quòd possit maritus post mortem uxoris suæ aliam ducere, uxor verò minimè possit alteri nubere post mortem mariti sui. Extat & hic text. in Decreto Gratiani in *can. Si qua mulier xxxi. qu. 1.* nisi quòd unus ex altero supplendus videatur. Nam in *d. can. Si qua mulier*, absunt verba, *post mortem uxoris*, ut tum demum possit maritus aliam in uxorem ducere. In nostro verò textu illud desideratur, quòd possit maritus ob ejusmodi conspirationem in se factam, uxorem suam dimittere.

Itaque

Itaque maritus non solum post mortem uxoris suae potest aliam ducere, sed & illam dimittere propter infidias vitae suae intentatas. Idem est ex parte mariti, ut si is vitae uxoris infidetur, similiter dimitti possit ab uxore, nisi uxori sufficiens securitas praestetur per maritum, *per text. in c. Literas. 3. in fine & in c. Ex transmissa. 8. sup. De restit. spoliat.* In marito quoque constitutum est, ut si is uxorem suam occiderit, aliam uxorem ducere non possit, *can. Interfectores & can. Quicumque & ibi Gloss. xxxi. quest. 2.*

2. Sed an in specie casus nostri idem obtineat, ubi maritus uxorem non occidit, sed tantummodo cum aliis conspiravit in necem uxoris, & aliquis ex iis occisus est, addubitari posset; eo quod in poenitentia benignior interpretatio in dubio semper adhibenda sit, *c. In poenitentia De R. I. in 6. & l. Interpretatione 4. d. De poenitentia.* Sed idem juris esse puto ex parte mariti, quod ex parte uxoris, propter eandem rationem, *arg. can. Nihil iniquius & can. Indignantur xxxii. quest. 6.*

Nihilominus volunt Dd. nostri, quod licet uxor hoc textu nostro post mortem mariti aliud matrimonium contrahere non possit, subsistere tamen matrimonium, si ab ea contractum fuerit, *Gloss. & Hostien. per text. in d. can. Interfectores. & can. In adolescentia xxxiii. qu. 2.* Idem probare videtur Panorm. & Praepositus, & Mart. Navarr. in *Manuali. c. 22. nu. 74.* Quo loco tradit, quod licet propter homicidium uxoris vel mariti superstes conjux prohibeatur matrimonium contrahere, ta-

men si contractum fuerit matrimonium, non dirimi.

Constat enim ex supradictis variis locis, inter impedimenta matrimonii quaedam esse, quae non tantum impediunt matrimonium contrahendum, verum etiam contractum dirimunt, ut sunt consanguinitas & affinitas, publicae honestatis iustitia, frigiditas, maleficium, & his similia, de quibus suo loco superioribus titulis latius differuimus. Quaedam vero quae tantum matrimonium impediunt contrahendum, sed contractum non dirimunt, ut in casu text. nostri. Item incestus, *c. I. c. 2. & c. Transmissa. sup. De eo qui cogn. conjug. uxor. sua. raptus spon. alterius, can. Statutum xxvii. qu. 2.* susceptio proprii filii ex baptismo eadem mente facta, ne uxor ab eo debitum conjugale possit exigere propter iam contractam spirituales cognationem, *can. De eo xxx. quest. 1. solemn. poenitentia, can. De his & c. Antiqua xxxi. qu. 2.* matrimonium cum Moniali de facto contractum, *can. Sermo xxxii. qu. 1.* de quibus latius apud Navarr. d. loco. Hi itaque prohibentur quidem matrimonium contrahere, sed tamen contractum ab iis matrimonium non dissolvitur, ita permittentibus sacris Canonibus. Sed redeundo ad textum nostrum, unus tantum casus est, quo propter homicidium non tantum matrimonium impeditur, sed & contractum dirimitur, puta si quis cum alterius uxore in mortem mariti conspiraverit, ut eandem postea in uxorem ducat, *c. Laudabilem sup. De convers. infidel. & latius diximus sup. De eo, qui duxit in matrim. quam polluit per adult.*

In Cap. Quasi 2.

SUMMARI A.

1. Iusta causa divertendi non est delictum alterius conjugis.
2. Exceptio infidelitatis maleficio, & ubi alter alteri peccandi occasionem praebet.
3. Est & iusta causa mariti in uxorem nimia savitia.
4. Item furor superveniens.
5. Adulterium sive fornicatio alterius conjugum.
6. Non obstante poenitentia uxoris adultera.
7. Uxor adultera quibus casibus dimitti possit.
8. Est & causa divertendi iusta haeresis.
9. Huic casibus sic tantum separatio quo ad torum, nec excipitur fornicatio.

Docetur hoc Cap. 2. conjuges non posse à se invicem separari propter furtum, aut aliud delictum sive crimen, nisi alter alterum ad infidelitatem sive haeresin pertraheret. Illius ratio pendet ex sententia Christi: *Quod Deus conjunxit homo non separet, Matth. 19.* tum ex eo, quod inquit Divus Paulus: *Mulier corporis sui potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed uxor. 1. ad Corinth. 7.* Unde rectè sequitur, matrimonii usum non posse Judicem interdiceret inter conjuges, neque alterum alteri conjugii subtrahere. *Exceptionis vero ratio ex illa sententia Christi colligitur: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, &c. non potest meus esse discipulus,*

Luca

Luca 14. & quod ait Christus, *Matth. 18. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum. Per oculum*, intelligens, ut exponit ibidem Divus Augustinus, eos, qui nobis conjuncti sunt, & chari, instar oculorum, ut sunt parentes, filii, uxor, ubi scilicet ex horum consuetudine periculum peccandi imminet. Quare non tantum in exceptione textus nostri separatio matrimonii licita est, verum etiam ubicumque unus conjugum alteri peccandi occasionem intencat, *est text in can. Idololatria xxviii. quest. 1. Navarr. in Manuali cap. 22. num. 22. Interim perseverat vinculum conjugii per hunc textum nostrum*, cum matrimonii semel legitimè contracti perpetuus & indissolubilis nexus sit, *can. Horrendus cum can. seqq. xxxi. quest. 5. Concil. Tridentin. Sess. 24. in doctrina de Sacram. matrim. duobus tantummodò casibus exceptis. Unus est, si alter conjugum, nondum consummato matrimonio, Religionem ingrediatur & profiteatur; quod ipsi permissum est per sacros Canones, etiam in viro altero, c. 2. & c. Ex publico 7 sup. De convers. conjug. Alter, si infidelium unus ad fidem Christianam convertatur, c. Gaudemus 8 inf. eod. ubi latius dicitur.*

Iraque justa causa est divertendi ab uxore, vel e contra à viro, si alter alteri delinquendi causam præbeat. † Altera est nimia sæ vitia mariti in uxorem suam, ob quam rectè petit uxor se separari à marito suo, nisi hic sufficientem cautionem præster, de non offendenda uxore, *text. est in c. Literas 13. in fine & cap. Ex transmissa 8. sup. De restitut. spoliat. Sufficiens cautio dicitur, quæ sit pignoris vel fidejussore, l. Si mandato Titii 3. §. fin. D. Mandati; quamvis & juratoria cautio sufficiens dici possit, si hanc magis maritus timeat, ut rectè Glos. & Innoc. tradunt ad d. cap. Ex transmissa, quod Judicis æstimationi reliquitur. Covarr. in IV. Decretal. cap. 7. §. 5. num. 1. usque ad num. 6. Idque adeò obtinet, etiam si uxor culpâ suâ in mariti odium incidisset. Panorm. ad d. c. Literas num. 23. per text. in can. De benedicto cum Glos. xxxii. quest. 1. Nec enim licet marito, quemadmodum nec aliis vindicare injuriam sibi illatam, sed ea ad auctoritatem Judicis referenda est, l. Nullus Cod. De iudicis, & l. Non singulis D. De R. l. Quod si verò tanta mariti sæ vitia sit, quod nulla cautio videatur sufficere, non solum non compellenda est uxor, si à marito discesserit, ut ad eundem redeat, sed etiam à marito removenda est, per text. in d. c. Literas in fine ubi & singulariter notat Panorm. num. 7. Enfatit text. optimus in l. Si usufructus 16. aliàs l. Equissimum, §. sed si inter duos D. De usufr. Quo etiam fit, ut*

si alter conjugum alterius vitæ infidetur, rectè domo ejici, vel deserri possit ab altero, eo scilicet casu, quod idoneè ipsi non caveatur: & perentia restitutionem obstabit exceptio sæ vitici, ex sententia Butrii, Panorm. Præpos. post Hostiens. ad c. 1. sup. eod.

Tertia causa est superveniens furor, ex quo vitæ periculum alteri imminet. Covarr. d. §. 5. num. 6. ubi ex Alexandro testatur, id communiter receptum esse à Dd & ratio pendet ex jam dictis.

Quarta causa est adulterium sive fornicatio alterius conjugum, c. Significasti 4. c. Ex literis 5. c. Gaudemus 8. hoc tit. Quam & justam causam esse dimittendi conjugem, probat locus apud Matth. cap. 19. ubi ita Christus: *Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, machatur.* Btñ vero Christus hic solius uxoris meminerit, ut vir propter adulterium uxoris eam possit dimittere, idem tamen servandum quoque est in viro adultero, ut & hic deserri possit ab uxore, cum hac in re pares sint maritus & uxor, *can. Præcipit & can. Apud nos xxxii. qu. 5. Meminit verò Christus tantummodò viri, quod is ordinariè soleat uxorem suam dimittere propter adulterium, raro autem uxor virum suum, sicut constat ex can. fin. d. qu. 5. Atque hæc separatio matrimonii propter adulterium sive fornicationem adeò obtinet, etiam si uxor propter paupertatem libidini alterius se exposuerit, d. c. Ex literis 5. inf. eod. aut etiam injustè dimissa à marito hac occasione adulterium admisserit, c. Significasti 4. inf. eod. nam potius quælibet mala sustinenda sunt, quam peccato assentiendum, *can. Isane xxxiv. qu. 5. can. Lutharius xxxi. qu. 2. can. Ne quis arbitretur xxii. qu. 2. Eleganter Ulpianus: Non est ignoscendum ei, qui obtentu paupertatis turpissimam vitam egit, text. est in l. Palam 43. circ. princ. vers. non est ignoscendum D. De ritu nupt.**

Sed statuamus uxorem adulterii pœnituisse, ane ignoscere ipsi teneatur maritus? Quod certè videtur, propter text. in c. 3. inf. De adult. in can. Quod autem, cum trib. seqq. xxxii. qu. 1. quibus locis adulterii crimen pœnitentiæ aboletur, ita quod uxor non amplius adultera nominanda sit. Verum contra rectius censet Glos. ad d. c. 3. quam ibidem sequitur Butrius & Panorm. quod scilicet, non obstante pœnitentiâ uxoris adulteræ, possit maritus eam dimittere, per text. in can. Admonere, vers. nam si verum xxxii. quest. 2. c. Gaudemus 19. sup. De convers. conjug. Ratio est, quod pœnitentiâ nemo nocens esse desinat in foro exteriori, d. l. Pa-

*d. l. Palam, vers neque enim aboletur, l. Quia mente 67, D. De furt. l. Quis sit fagitivus 17, in pr. D. De adul. edito & l. penult. D. Vi bonor. rapt. Nec marito jus dimittendi uxorem ex causa adulterii sibi acqvisitum invito auferri debet, l. fin. in fine D. De pact. & l. Id. quod nostrum D. De R. I. Non movet textus in d. c. 3, quia, ut rectè interpretatur ibidem Glossa, Panorm. Zabarella & Anton. verbum *debet*, in eodem cap. positum non ad necessitatem, sed ad honestatem trahendum est, ita quòd honestum sit, uxorem adulteram pœnitentem à marito recipi, non autem necessarium. Similis est interpretatio ejusdem verbi, debet, in cap. 1, sup. De desponsat. impub. Quo sensu quoque videtur accipiendi textus in d. can. 4, in can. Quod autem, cum trib. seqq. xxxii. quæst. 1.*

Receatur à jure nonnulli casus, quibus uxorem adulteram dimittere non licet. Primus est, si & ipse maritus adulterium sive fornicationem admiserit, c. Significasti inf. eod. c. penult. & ult. inf. De adul. & xxxii. quæst. 5, per tot. Nam paria delicta mutuà compensatione tolluntur, d. c. penult. & ult. l. Viro 40, D. Solutio matrim. & l. Si ambo 49, D. De compenfas. Secundus est, si maritus auctor fuerit uxori adulterii committendi, aut adulterium ipsius approbaverit, c. Discretionem 6, sup. De eo qui cogn. confang. uxor. Cur enim, inquit Scævola J. C. improbat maritus mores, quos ipse antè corrupit, aut postea probavit in l. Cum mulier 49, D. Solutio matrim. Quà ratione & si sciens uxorem adulteram esse, eam cognovit, non poterit dimittere, cum eo ipso vel approbasse ejus adulterium, vel saltem ei ignovisse videatur, *Glos. ab omnibus recepta ad cap. fin. inf. De adul. Covarr. in 4, Decret. p. 2, c. 7, §. 6, num. 11, idque instar actionum injuriarum, quæ dissimulatione tolluntur, §. fin. Inst. De injuriis.* Tertius casus est, si uxor credens absentem maritum suum mortuum alteri nupserit, quia reversus maritus eam recipere tenetur, *can. Cum per bellicam xxxiv. quæst. 1.* Nec enim reversus maritus objicere potest uxori adulterium, quæ bonâ fide nupsit, cum adulterium non bonâ fide, sed dolo admittatur, l. penult. D. Ad l. Inl. de adul. uti & quælibet alia causa, etiam injusta, excusat à dolo, l. Igitur 12, vers. & generaliter D. De liberali causa. Quartus casus est, si uxor errore decepta credat se à marito suo cognosci, cum reverà alius sit, *can. In lectum xxxiv. quæst. 1.* Hujus ratio jam dicta est. Quintus est, si uxor ab alto vi opprimatur, si quidem hoc casu uxor extra omnem culpam est, ne dicam, dolum, & consequenter adul-

tera non est. Non potest fieri (inquit textus in *can. Depudicitia xxxii. qu. 5,*) ut nisi quis mœchetur prius in corde, mœchari possit in corpore. Similis textus est in *can. Non potest, cum duob. seqq. ead. quæst. 5.* Atque hæc de quarta causa separandi matrimonium propter adulterium. Sed & reliquas persequamur.

Quinta causa est separandi matrimonium, hæretis, hoc est, si alter conjugum in hæresin labatur, *cap. De illa 6. cum cap. seq. inf. eod.* Nam hæresis spiritualis quædam fornicatio dicitur, quæ tamen per subsequenter pœnitentiam aboletur, *cap. Quinto 7, in fine inf. eod.* Aliter quàm in fornicatione carnali, quæ per pœnitentiam non tollitur, ut antè dictum est; quia hæc directè pugnat cum fide cõjugali, quæ est una ex bonis matrimonii, ut vocant, substantialibus, *can. Omne xxvii. q. 2.*

Cæterum hîc nobis objicitur locus apud *Matth. 5, & 19,* ubi Christus inquit: *Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem; & aliam duxerit, mœchatur.* Ex quibus verbis à contrario sensu hoc argumentum comminiscuntur adversarii nostri. Ergò inquirunt, qui ob fornicationem dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, eam non mœchari. Unde consequens videtur, propter fornicationem uxoris solvi matrimonii vinculum, & impunè posse aliam duci. Verùm hoc argumentum nihil mover Catholicos, qui uno ore affirmant, matrimonii vinculum non dissolvi propter fornicationem. Et probat Catholicorum sententiam textus in *can. 1, cum aliquot c. seqq. xxxii. qu. 7,* & extat expressus hac de re Canon Concilii Trid. Sess. 24, cap. 7, de Sacram. matrim. Itaque quod ad dictum locum *Matthæi* atinet, exceptio illa, *nisi ob fornicationem,* referenda est ad solam dimissionem, ut tantummodò propter fornicationem liceat absolutè & in perpetuum uxorem à se dimittere, quoad totum & cohabitationem. Non autem referri debet ea exceptio ad matrimonium cum alia contrahendum, quasi hoc liceat, & non sit adulterium, sicut ex *D. Thom. & aliis* probat *Greg. de Valent. Comment. Theolog. tome 4, de matr. d. sp. 10, quæst. 1, puncto 7.* Quare ex illis verbis à contrario sensu perperam inferitur, uxorem ob fornicationem dimitti posse, ut etiam liceat aliam ducere. Et licet aliàs argumentum à contrario sensu utroque jure receptum sit, l. 1, p. De eo cui mand. est. jurisd. l. Qui testamento 20, §. mulier D. De testam. Et *Cum Apostolica 7, in fine* De his qua fiunt à Prelat. tamen

cessat, ubi absurdus sequeretur intellectus, vel correctio juris, ut hoc nostro casu, quo vinculum matrimonii propter fornicationem dissolveretur, contra naturam matrimonii & auctoritatem totius Ecclesiae, quae hanc dissolutionem nullâ ratione admittit, sicut constat ex prædicto Canone Conc. Trid.

Neque movet, quod uxor etiam ob alias causas dimitti possit, quoad torum & cohabitationem, puta, propter hæresin, sævitiem, & similes, ut paulò antè explicavimus. Nam hæ dimissiones ob duplicem rationem à Christo omisæ sunt, solâ mentione facta fornicationis, eò quod fornicatio propria & omnium iustissima causa sit dimittendi uxorem suam; quia directo pugnat

cum fide conjugali, quæ in eo consistit, ne alter conjugum alteri tertio corpus suum communi- cer. Aliæ verò communes sunt omni societati, si- ve cœmmerico hominum. Nam propter hæresin, furorcm, sævitiã, non tantum separantur à se invicem conjuges, sed & filius à patre, frater à fratre, vel qui societatem inter se contraxerunt. Deinde separatio matrimonii propter fornicationem perpetua est, neque pœnitentiã matrimonium reconciliatur: quod non est in aliis causis, quæ temporales sunt, hoc est, tam diu durat separatio matrimonii, quam diu durat ipsa causa, sicut suprâ docuimus. Vide latius Bellarm. *lib. 1. de matr. Sacram. cap. 14.*

In Cap. Porro 3. juncto c. Significasti 4.

S U M M A R I A.

1. Non potest quis uxorem propriâ auctoritate ex causa cognationis dimittere.
2. Uxor propriâ auctoritate à marito expulsa rectè petit restitui.
3. Et quid si adulterium notorium sit? Intellectus c. 4. h. t.

HOc Cap. tertium plerisque difficile videntur. In eo consultus S. Pont. de quodam Comite, qui uxorem suam absque iudicio Ecclesiae, hoc est sine cognitione & sententia iudicis Ecclesiastici, dimiserat, ideo quod assererat eam esse cognatam prioris uxoris suæ defunctæ. Qua de re, inquam, consultus S. Pont. rescribit hoc cap. nostro, Comitem compellendum esse, ut uxorem à se dimissam in consortium suum recipiat; ad eò licet parentela sive cognatio notoria sit, adjectâ pœnâ excommunicationis, si contumax fuerit.

Deinde in eodem hoc cap. 3. respondet ad aliam quæstionem, quæ similiter ipsi proposita fuit, de viro, qui cognatam suam in uxorem duxerat, ut si inter eos parentela sive cognatio manifesta sive publica sit, per sententiam dirimatur, etiam si nullus extet accusator, qui hoc matrimonium impugnet. Intellige verò de cognatione iptra quartum consanguinitatis vel affinitatis gradum, juxta decisionem textus in c. Non debet sup. De consang. & affin. ubi fusius id persecutus sumus.

Et quidem prioris ratio hæc est, quod nemo sibi ipsi jus dicere possit, sed iudex adiri debeat, *l. un. C. Ne quis in sua causa iud. l. Nullus 13. C. De ludeis, c. Congruente 7. juncta Cl in V. voluerit sup. de restit. spoliar. ubi etiam nullus privari debet jure suo absque cognitione causæ, l. fin. in fine C. Si per vim, &c. Ut hinc etiam prædo possessione suâ dejectus absque iudice rectè restitutionem petat, cap. In literis 5. de rest. spoliar. l. 1. §. qui à me D. de vi & vi arm. §. recuperanda Inst. De interd. Unde etiam uxor, quæ privatâ auctoritate à marito domo exturbata est, aut aliter dimissa, rectè intendat interdictum recuperandæ quasi possessionis, ut in pristinum statum restituitur, per h. text. nostr. & in cap. Ex conquestione 19. De rest. spoliar. Quod usque ad eò obtinet, etiam si causa impedimenti matrimonii in iudicium deducta fuerit; adhuc enim ejici non poterit uxor ante latam sententiam, c. 2. *Ve lite pend.**

Cæterùm his refragari videtur textus in c. Significasti 4. inf. eod. quo uxor privatim dimissa à marito propter adulterium non restituitur, si adulterium notorium sit. Igitur notorium restitutionem uxoris impedit, contra hunc text. nostrum. In quo nodo solvendo variè laborant Interpretes, ut videre est hic apud Panorm. & alios. Verùm omisiss cæteris referam sententiam Joan. Corasii *lib. 2. Miscell. c. 2.* qui rem ferè attingisse videtur. Cùm enim (inquit) spoliatus ante omnia restituendus sit, id non in titulo aut jure petentis, sed in odio spoliationis fundatur, c. fin. sup. de ord. cognit. & d. e. In literis cum simil. nisi is, qui

qui restitutionem petere possessionis, manifestò & evidenter esset incapax, veluti si Prælati laicum, qui spiritualia possidere aut quoquo modo administrare nequit, *c. Decernimus sup. de judic. spoliasset*. Innoc. ad *c. Constitutus sup. De fil. presbyt.* Quæ ratione (addit Corasius) Bonifacius VIII in *c. Decimas De restitut. spoliat. lib. 6.* noluit Canonicos & Nicolai spoliatos à Benedicto Clerico perceptionem decimarum restituere, cum ad possessionem decimarum in aliena parochia restitui postularent, quam nullo jure eos habere posse certius est, quam ut longiore eget probatione. Sed malè hoc ex eadem ratione deducit Corasius. Non enim Canonici incapaces sunt decimarum in aliena parochia, cum eas præscriptione, aut alio titulo sibi acquirere possint, *c. 1. De præscript. lib. 6. c. 9. & 10. c. pen. sup. De decim.* sed quòd Canonici jus commune restitunt, quo debentur decimæ Parocho, *c. Cum contingat 29. cum c. seq. sup. d. tit. De decim.* Unde necesse est, antequam restitui possint Canonici, ut probent titulum suæ possessionis, *d. c. 1.* Quod notent Parochi contra eos, qui in sua parochia decimas colligunt, quòd impune eos spoliant possessione suâ, & non ante restituantur spoliati, quàm titulum suæ possessionis docuerint.

Alteram exceptionem hujus regulæ, quòd spoliatus ante omnia restituendus sit, hanc adfert idem Corasius, quando scilicet spoliatio fit legis auctoritate, veluti cum uxor adultera, à qua maritus divertit, restitutionem petit. Nec enim in culpa videtur maritus, qui uxorem adulteram, quam omni lege & divinâ & humanâ retineri prohibetur, dimisit, *ut in d. c. Significasti & in l. Miles §. fin. D. Ad L. Jul. De adult.* Diversam est in hoc *c. 3.* quo prohibetur maritus dimittere uxorem suam prætextu consanguinitatis sine judicio Ecclesiæ, quòd id nullâ lege caveatur. Sed & in hoc labitur Corasius. Non enim maritus cogitur adulteram uxorem dimittere propriâ auctoritate, sed ad reconciliandam eam sibi potius à jure invitatur, *c. Quod autem, cum duob. seqq. xxxii. qu. 1. sicut & sup. eod. ad c. 2. meminimus.* Dominus (inquit D. Augustinus) permisit causâ fornicati-

onis uxorem dimitti; sed quia permisit, non iussit, *text. est in can. Cum Apostolus xxxii. q. 7.*

Nihilominus defendi potest sententia Corasii, si eam accipiamus juxta mentem Panormi in *c. fin. inf. De adult.* si quidem asserit Panorm uxorem adulteram auctoritate propriâ posse dimitti à marito, cum hoc illi permillum sit auctoritate divinâ, juxta illud *Matth. 5. & 19. Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem &c.* Et confirmatur, quia propter adulterium uxor ipso jure perdit jus exigendi debitum conjugale à marito. Navarr. in *Manuali. c. 22. n. 23.* quare rectè eandem dimittit, cum ad reddendum uxori adulteræ debitum non sit amplius obligatus, & probat *text. apertus in can. Agathosa xxvii. q. 2.*

Interim ab Ecclesiâ sive Ecclesiastico giudice restitutio fit, donec constet de adulterio. Constabit verò, si adulterium notorium sit, non quovis modo, sed per confessionem factam in judicio, aut per evidentiam rei, quæ nullâ tergiversatione celari potest, *c. fin. sup. De cohab. Cleric.* puta si publicè cohabitaret adultero, *Gl. ad can. 1. xxxii. q. 1. & est text. in c. pen. inf. De adult.* vel certò constet ex adultero filium suscepisse, *can. Priusquam dist. 28.* Etenim in hujusmodi notorio nullo opus est judicio, nullâ condemnatione, *can. De manifestis II. q. 1. c. Quoniam 10. sup. De fil. presbyt. c. 5. & Per vonis c. 13. De appellat.* sicut accidit in *d. c. Significasti*, in quo adulterium uxoris notorium fuit, ex ejusdem confessione. Secus verò in hoc *cap. 3.* eò quòd parentela ita notoria esse non possit, sicut adulterium. Nam tamen uterque contrahentium in judicio fateatur parentelam, non tamen ideo dissolvitur matrimonium, cum matrimonium semel contractum non pendeat amplius à voluntate partium. Quod enim Deus conjunxit, homo non separet, *Matth. 19.* Idem est, si dicatur notoria esse parentela. Verum neque hæc per evidentiam rei ostendi potest, siquidem ne quidem pater filium suum ostendere potest, nisi ex præsumptione, quòd domi suæ ex sua uxore natus sit, *l. Filium 6. d. De his qui sunt sui vel alieni jur.* Notorium verò talem evidentiam requirit, quæ nullâ tergiversatione celari potest, *per text. in cap. fin. sup. De cohabit. Clericor.*

In Cap. Quanto 7.

SUMMARI A.

1. Ob hæresin alterius conjugum non dissolvitur matri-

monium.

GGG 2

2. An

2. *An recte quis ex hac causa se separet ab altero.*
 3. *Quid de matrimonio infidelium?*

Sententia hujus Cap. hæc est, quod matrimonii vinculum non solvatur, altero conjugum in hæresin lapsa. Ubi verò unus infidelium ad Christianam fidem convertitur, & alter non vult ipsi cohabitare, vel vult quidem, sed non potest sine blasphemia divini nominis, vel ut non eum pertrahat ad mortale peccatum, potest converteri alterum deserere, & aliud inire matrimonium. Et quod ad hæresin attinet, ratio hæc redditur, quod matrimonium inter Christianos contractum est Sacramentum, designans conjunctionem Christi cum Ecclesia sua, quæ indissolubilis est, c. *Debitum* 5. *sup. De bigram.* De infidelibus est D. Pauli sententia, 1. ad Cor. c. 7, §. *infidelis discedat, discedat*: & quod sacer Canon inquit: Contumelia creatoris solvit jus matrimonii, *text. est in can. Si infidelis xxviii q. 2.* Utraque ratio hoc textu nostro reperitur.

2 Et quamvis propter hæresin matrimonii vinculum non dissolvatur, rectè tamen se separat alter conjugum ab altero in hæresin lapsa, juxta decisionem c. *De illa* 6, *sup. eod.* etiam propria auctoritate, juxta illud D. Pauli ad Tit. 3, *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem de vita.* Si tamen neget se hæreticum, nulla separatio admittitur, nisi per judicem Ecclesiasticum declaratus fuerit hæreticus, *per text. in c. Cum secundam* 19, *De hæres. lib. 6.*

Nec movent verba textus nostri: *Licet quidam prædecessor noster sensisse aliter videatur.* Intelligit textus Cælestinum III. qui præbatur, matrimonium propter hæresin ita dissolutum, quod licuerit Catholico etiam aliud contrahere matrimonium. Cujus sententiam hic rejicit Innoc. III. asserens matrimonii vinculum non dissolvi propter hæresin. Non tamen ob id Cælestinus hæreticus judicandus est, quemadmodum eum infirmulate videretur Alphonsus à Castro lib. 1, de *Hæresib. c. 4.* siquidem Cælestinus hæc sententiam suam noluit esse decretum fidei, sed tantum respondit, quid sibi probabilius videbatur. Etenim si propter conversionem alterius infidelium solvitur vinculum matrimonii, multo magis videbatur dissolvi propter hæresin, propter majorem contumeliam Deo illatam propter hæresin. Itaque Cælestini responsum non decretum fidei continet, sicut nec Innocentii hic, dum rejicit

Cælestini sententiam, dum utitur his verbis: *Non credimus, quod in hoc casu is, qui relinquitur (scilicet propter hæresin) vivente altero possit ad secundas nuptias convolare.* At verò hodie hæc sententia Innocentii inter decreta fidei relata est ex declaratione Concilii Trid. *Sess. 24, can. 5, De Sacram. matrim.* dum ita inquit: *Si quis dixerit, propter hæresin aut mortalem cohabitationem, aut absentiam à conjugate dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit.*

Quo verò ad matrimonium infidelium, illud solvitur etiam quoad vinculum, non quidem statim, sed contracto per convertum alio matrimonio, *per hunc text. nostr. & in d. can. Si infidelis.* Quod et si alii controvertant, utrum per solam conversionem ipso jure dissolvatur matrimonium, an per sententiam judicis, aut per subsequens cum alio, aliave matrimonium, ut videtur est hic apud Henr. Bohic. tamen certius est non solvi nisi per matrimonium. Argumento est, quod in *cap. seq. in fine dicitur*, Si virum convertum ad fidem mulier conversa sequatur, antequam ille aliam duxerit, teneri virum eam recipere. Non igitur per solam conversionem unius infidelium dissolvitur ipso jure matrimonium, sed secutus cum alio nuptiis. Etenim crimina in Baptismo solvuntur, non conjugia, inquit *text. in can. 1, xxviii q. 2, & in c. Gaudemus inf. d. Rectè verò quoad usum conjugii conversus sive conversa conjugem dimittit, ubi scilicet infidelis non vult converso cohabitare, aut vult quidem, sed non sine contumelia creatoris, id est, Dei, aut non sine peccato mortali.* Et tum demum matrimonii vinculum solvitur, si conversus ad alias nuptias convolaverit.

Non obstat, quod contra objeunt, quod matrimonium infidelium non minus indissolubile sit, quam Christianorum, propter sententiam Christi, apud Matth. 19, *Quod autem Deus conjunxit, homo non separet, dum volunt hoc non minus pertinere ad infideles quam ad fideles.* Accedat, quod matrimonii vinculum indissolubile verum continet, ex illis verbis Gen 2, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, quam obrem relinquit homo patrem suum, & matrem, & adhaeret uxori suæ, sicut ex his verbis colligit Concil. Trid. Sess. 24, in doctrina de Sacram. matr. in princ.* Quia respondetur, in infidelibus nos habere interpretem D. Paulum d. c. 7, qui ab hac sententia excipit infidelem ad fidem convertum, sicut jam explicatum.

In Cap. Gaudemus 8.

SUMMARI A.

1. Infidelium altero converso matrimonium intra gradum prohibitum ante contractum non dissolvitur.
2. Matrimonium infidelium an Sacramentum?
3. Quid juris in pagano plures uxores habente converso.

HOc Cap. consultus S. Pontif. utrum pagani, id est, infideles uxores accipientes, in secundo, tertio, vel quarto consanguinitatis gradu, debeant post conversionem suam ad fidem Christianam simul remanere, vel à se mutuo separari? Rescribit eos minime à se invicem separari oportere, cum non minus inter infideles, quam fideles Sacramentum conjugii existat. Quod comprobatur auctoritate D. Pauli, 1. ad Corinthios. 7. ubi his verbis inquit: *Si quis frater infidelem habet uxorem, & hac consensu habitare eum eo, non illam dimittat.*

Ratio verò dubitandi erat, quòd prohibitum sit matrimonium inter consanguineos intra quartum consanguinitatis gradum, *cap. Non debet sup. De consang. & affin.* Unde cum devenerit matrimonium infidelium in eum casum, à quo incipere non potuit, videbatur tale matrimonium ipso jure dirimi, *arg. §. item contra Instic. De inutil. stipul.* Cui occurrit hic Summus Pont. quòd, cum infideles non subjiçantur Canonicis constitutionibus, juxta illud D. Pauli, *Quid enim ad nos, qua foris sunt iudicare?* rectè contrahant matrimonium in secundo, tertio, vel quarto consanguinitatis gradu, quorum prohibitio à jure Ecclesiastico introducta fuit, *d. c. Non debet.* Neque matrimonium propter subsequentem baptismum dirimitur, cum per baptismum non tollantur conjugia semel legitime contracta, sed crimina di-

mittantur. *text. hic in verb. cum per Sacramentum Baptismi, &c.* Cujus quoque meminimus ad c. 4. *sup. De consang. & affin.* Nec obstat, quòd jam in eum casum matrimonium devenerit, à quo incipere non potuit; quia id locum non habet in matrimonio, propter favorem fidei Christianæ, *per hoc text.*

Cæterum quod dicit textus noster, Sacramentum conjugii tam apud infideles, quam fideles existere, accipiendum est quoad contractum matrimonii, qui non minus celebratur inter infideles; sed nequaquam uti Sacramentum, eo quòd Baptismo careant, qui est aliorum Sacramentorum fundamentum & janua, *c. 2. De cognat. spirit. lib. 6. & can. Cum itaque in fine de consecr. dist. 4.*

Quia nonnunquam pagani plures simul uxores habent, quid in his juris sit, si ad Christianam fidem convertantur, decidit hic similiter S. Pontif. quòd scilicet primæ uxori, aliis dimissis, adhærere cogantur. Cujus rationem hanc reddit, quòd scilicet ab initio, id est, in paradiso una constituta in unam faminam conversa sit, non verò in plures; & Scriptura divina testetur, quòd propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una, nullâ mentione factâ plurium uxorum, *ut videre est Genes. c. 2. & Matth. 19.* Quod præceptum divinum non minus ad infideles, quam ad fideles pertinet, sicut constat *ex d. c. 19. in pr.* Exceptis tamen iis, quibus divinâ revelatione concessum erat, ut simul plures uxores habere potuerint, sicut constat in Abraham, Jacobo, aliisque Patriarchis veteris Testamenti, *text. hic in versic. nec illi umquam.* Quod cum singulare fuerit, & ex divina dispensatione contigerit, non est ab aliis in consequentiam trahendum, *c. Qua à jure communi De R. l. lib. 6.*

In Cap. ultimum.

In hoc Cap. prohibetur matrimonium cum di-
ta vidua fratris sui defuncti, quia est ipsi in
primo affinitatis gradu, nisi cum summi Pont.
dispensatione, quemadmodum hic dispensat eum

Livonibus ad fidem Christianam conversis. De
qua dispensatione fusillimè egimus ad
*cap. 3. sup. De consang. & affini-
tate.*

Ggg 3

IN TIT.